



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

**Vindalium, 1646**

Sect. VI. De objecto Theologiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38742**

## SECTIO VI.

*De obiecto Theologiae.*

## CONCLUSIO VNICA.

**O**biectum materiale primarium Theologiae est Deus, ratio formalis quae Deitas; ratio vero formalis sub qua, discursus ex reuelatis.) Prima pars probatur, quia Deus principaliter consideratur à Theologia; & gratia sui, cum ad alia non referatur.

Nota non opus esse quod scientia consideret omnes veritates sui obiecti absolute, sed illas tantum quae cum ipso lumine proportionem habent. Nulla tamen est veritas diuina, quae sub reuelationis lumine cadere non possit, & ex qua per legitimum discursum conclusio aliqua deduci nequeat.

Secunda pars ostenditur, quia quaecunque per se tractantur in Theol. reducuntur ad Deum quia Deus est: vel enim agitur de ipsa Deitate, aliisque ad eam intrinsece spectantibus, vel de rebus quae ad

Deum vt sic, tanquam ad suum principium & finem referuntur.

Neque dicas Theologiã agere de peccatis, quæ tamen ad Deum vt ad suum principium vel finem reduci nequeunt: agit enim de illis tantum per accidens, quatenus cum per se agat de mediis quæ ad Deum ducunt, consequenter tractat de iis quæ ab illo auertunt.

Tertia pars suadetur, quia cum variæ scientiæ considerent Deum vt Deus est, oportet vt quælibet feratur in tale obiectum sub speciali quadam ratione formali quæ aliis nõ cõpetat, aliàs inter se non distinguerentur; sicut ergo Theologia beatorum considerat veritates diuinas sub claro lumine gloriæ, ac proinde sine vlllo discursu: Theologia verò naturalis discurret de Deo ex principiis naturali lumine notis. Ita Theologia Christiana, de qua agimus, variat demonstrat de Deo prout per legitimum discursum oriuntur ex reuelatis.